

1710, 2
DISPV TATIO IVRIDICA
DE
accurato discrimine
inter
CONSENSVM EXPRESSVM
TACITVM ET PRAE
SVMTVM
Quam
opitulante DEO

IN ELECTORALI ERFVRTENSI ACADEMIA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
REVERENDISSIMO AC ILLVSTRISSIMO DOMINO
DOMINO

PHILIPPO VVILHELMO
SACRI ROMANI IMPERII COMITE
DE BOINEBVRG

SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS CONSILIARIO INTIMO ET CA
MERARIO ECCLESIARVM MOGVNTINAЕ ET TREVIRENSIS ME
TROPOLITANARVM COMPARATE SVPREMO CHORI EPISCOPO ET
CANONICO CAPITVLARI SENIORE EMINENTISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO INTIMO CIVITATIS AC
TERRITORII ERFVRTENSIS PRO PRINCipe
ET RELIQA

P R A E S I D E
FRIDER.GREGORIO LAVTENSACK
I. V. D.

A. D. XXII. AVG. A. C. MDCCX. publice
loco et horis solitis defendet
RESPONDENS

HIERONYMVS ZACKE
Erfurtenus.

LITERIS IO. HENRICI GROSCH ACAD. TYPogr.

DISPUTATIONE
SOCIETATIS PHILOSOPHICAE
CONSENSUM EX PRECESSU
TAGITAM ET LITAE
SUMTUM
ab anno DCC
IN ELECTORALI ET CIVITATINA ACADEMIA
ELECTORALIS MAGDEBVRGENSIS
PARABUNDISANA AC ALEXANDRINA DUXA
DOMINO
PHILIPPO VON HELL
SACRI ROMANI IMPERII CONSULI
DE BONNERAC
EGO ANTONIUS MAYERIANUS CONSILIARIORUM ET CONS
MAYERIANUS ECCLESIA STYLARUM MONASTERIATIS ET LIBRARIE
PROLITERARUM COMPARATAE PRAESIMO CHORALIS, OICAT
CUNIONE, CATHOLICI SENSIBVS, FUNDAMENTISIMI HISTORIE
PERCUTORIS MODERNI CONSILIARII IN IUDICO CIVITATIS AC
TESTATORIUM EPISTOLARIIS PRO TUTANDIS
TESTIMONIA
P. R. A. E. A. D. B.
AD XXXV. M. A. T. C. MDCCL. MM
Inauguratione
testimoniis
HERONIUS SACRUS
Episcopus
Institutio M. A. T. C. MDCCL. MM

EX innumeris iuris capitibus vix ullum *in praxi*, ut loquuntur, et vita communi, frequentius obvenire, eoqve utilius censi feri debere, qvam illud *de pactis* (utor in laxiori sensu vocabulo) qvi in dubium vocare ausit temere, arbitror futurum esse facile neminem. Cum autem, qvicqvid in qvovis pacto roboris ineft, id fere omne ab mutuo pacilcentium *consensu* proveniat; eorum ad minimum spero censuram praesentem laborem evasurum, quibus non magis infructuosum, quam plane absonum et indignum scitu habetur, quicquid *practicum*, sive, ut alio stilo loquuntur, *pani lucrando* aptum non autumant, sacerdotibus illis similes, a quibus pecuniam pro alio libro dare, quam triti nominis *postillis*, in prodigalitatis vitio consuevit numerari. Qvantum
quam praeterea ad tractandum hoc argumentum etiam hac altera causa sum adductus, quod tam perplexe vulgo ab iuris non solum privati, sed etiam naturalis publicique explanatoribus, cetera haud imperitis, materiam hanc agitari deprehendamus licet, ut, quae maxime discrepant, fere communiter pro

unis iisdemque vendident, eamque ob cau-
sam in multos errores cum ipsi deflectant,
tum alios incaute sequaces abducant. De
Puffendorfio certe conspirantes, opinor, eru-
ditorum sunt sententiae, et insignis eum iu-
dicii virum exstisit, et naturalis iuris instau-
ratorem. At enim cum ne iste quidem, ut
inferius commonstrabitur, pro eo ac opor-
tebat, in hoc argumento sit versatus, facile
hinc, quid de reliquis iurium interpretibus,
illis praesertim sit statuendum, potest existi-
mari, qui ut destituti plerumque solidioris
doctrinae ornamentis sunt, ita exscribere si-
ne iudicio quae ab aliis tradita invenerunt, et
non cohaerentium opinionum farraginem ex
confuso cerebro in chartam coniicere, more
a maioribus tradito habent receptum. Quo
vero rite ac decenter in hac expositione ver-
semur, tractandi ordinem talem sequemur,
ut primo omnium, quid *expressus*, quid *taci-
tus*, quid *praesumitus* denique *consensus* nobis
dicatur, aperiamus: deinde, ut quaeque spe-
cies ab altera discrepet, subiiciemus, tandem-
que, quam insignis in plerisque iuris argu-
mentis

mentis accuratioris huius discriminis usus fit,
adductis exemplis, ante oculos proponemus.
Tu vero quisquis es lector, faveas quaeso
conatui, ac si forte illud minus tibi placeat,
quod doctorum allegationibus ad singulos
numeros dicta ex more non sint corroborata,
cogites, in argumento nos tali occupari,
ubi, meo quidem iudicio, non autoritas magis,
quam ratio debebat imperare.

I.

ET si alienissimum a vero, mea quidem sententia, communne illud sapientum axioma est, hominem animal esse sociabile, hoc est, naturae insito quodam et irrefragabili instinctu ad colendam cum aliis hominibus amicitiam, societatemque ineundam impelli: illud tamen, humanae naturae conditionem penitus contemplans, certum exploratumque constituo, adeo homines alterum alterius ope carere non posse, ut in lucem editi infantes peregrinus temporum momentis spiritum ducere, facti autem adultiores commode vitam continuare vix possint, nisi ab aliis adiumentum afferatur. Atque hac in causa cum deterioris longe conditionis sumus, reliquis brutis animalibus, etiam vilissimis quibusque: indole praeterea tam feroci et prava instructi, ut iuvare alios aut nunquam, aut rarissime, contra laedere fere continuo et possumus et velimus, fuit sane tum indigentia haec summa, tum nocendi mutua proclivitas, quam mutuus insequebatur metus, vera et unica causa, quae coire in societas, et mutua pace consulere saluti suae, vel invitum adegit humanum genus.

II.

Ex his vero omnibus sua quidem sponte consequitur, principem hanc naturae legem existimari debere, ita ut nos geramus,

quo pax atque tranquillitas cum aliis hominibus modis omnibus
tum quaeratur , tum conservetur. At cum fieri id aliter haud
posit, nisi, remittendo de iure nostro , mutuis officiis alter alte-
rum colamus , et de hoc vel illo faciendo omittendoque fortiore
vinculo invicem nos constringamus : hinc nonsolum pacta sunt
coorta, sed etiam servanda esse, quae pepigimus, solidissime pot-
est demonstrari.

III.

Quo autem implendi necessitatem producat, et validum sit
pactum, *consensus* in primis requiritur, isque mutuus, eorum scilicet,
qui pacisci instituant.* Proinde haud incongruens censetur de-
finitio illa pacti, Romanis quoque Ictis familiaris, *quod sit duorum*
vel plurium ad aliquid vel dandum, vel faciendum (quo et omissiones
comprehendo) *consensus*.

* Idque in omni pacto obtinet, etiam non meuo, hoc est, ubi unus tantum ad dan-
dum vel faciendum se obstringit, alter non item; id quod, improprie tamen, *pactum*
gratuitum dicitur. Illud tantum interest, ut, quae sola praefstat, illa pars promitte-
re, cui autem praefstat, altera pars, acceptare dicatur. Quocirca promittas Caio
centum aureos dono dandos ; ille non acceptat, solitus praefstans obligatione *ea*,
nisi tamen ante, ut dares, te rogaverit, atque adeo acceptationem anteverterit. quan-
quam et hoc casu, ut responsus cum rogatione undique conveniat, hoc est, eam
nec excedat, nec diminuat, requiritur. Neque ut praeter recusantem Caium, in Ti-
tium aut alium, quae promisisti, conferas, iure potes compelli: non enim propter ea,
quod Caius accipere noluit, prorsus, quod tuum est, derelictum cupis: et causa,
ob quam Caio dare volebas, non eadem in Titio reperitur. Esto adhuc aliud exemplum,
idque in republica literaria haud infrequens. Spponditi, velle te proximo
vere librum in publicum emittere; ponamus de erroribus Fanaticorum fuisse. In-
cidunt autem cause, cur continere domi malis, quam luci publicae exponere fa-
pientiam tuam. Potes id sane illaefia excommunicatione, nec quisquam sapientior violatae
idcirco fidei te incuset. Obvertis: legi et vidi tame, viros magnos et doctos in
libris suis saepissime sic praefantes, ut potissimum liberandae, quam dederint, fidei
causa ad scriendum se pervenisse declarant. Respondeo. Legi vidique et ego. Sed,
miki crede, verissimum ambitionis pallium vides, quoties haec talia vides et legis,

IV.

Describi autem consensus potest, voluntatis quaedam nostrae
certa ac deliberata determinatio * ad certum aliquid vel dandum
vel faciendum.

* Vnde simus colligitur, quod dignum observatu est, et infra occurret, consensus tan-
quam causam obligacionis allegari non posse in iis rebus, quarum praestatio nobis
incumbebar, et iuri non consenseremus. Quemadmodum enim deliberata volun-
tatis determinatio intelligi nisi in iis actionibus non potest, quanquaque liberae et in
arbitrio nostro ponantur, suscipere an omitttere velimus; ita frustaneus sane actus
forer,

foret, si velles aliquem per consensum suum ad aliquid praestandum devincire, quem per legem, ut praefaret, perfecte devinclum iam habebas; plane ut foedus illud, ne nomine foederis dignum censendum esset, saltem tanquam fundamentum et origo obligationis haberi non posset, quod alias conditiones non contineret, quam ad quas iam ante pacientes alter alteri erat obstrictus.

V.

Ret igitur omnis consensus in mente quidem primo, sed qui inutilis tamen esset, nisi ulterius sese explicaret. *

* Reddi hinc ratio potest, cur neque iniuste cum belluis, neque ius ullum illis vel tribuere vel auferre posimus, propterea quod nitroque, et intellectu, et sermone, destituantur. Dices. Ergo ut cum DEO pacificamur, aut voto ipsi nos obstrin-gamus, fieri pariter non potest? nam nec iste suam acceptantis voluntatem declarare conseevit. Verum responderi potest: habere DEVVM in his terris quosdam, in primis autem plurimum reverendos verbi sui ministros, qui ut alias, ita his in rebus vices ipsius gerant, et, quae pie voventur, acceptent.

VI.

Habet autem homo facultates, quibus, quae cum animo decrevit, explicare potest, in primis duas: *verba*, et *facta*.

VII.

Vti vero, quae per verba fit, voluntatis nostrae declaratio modus et frequentissimus et ordinarius est; ita *consensus* haud incongrue dicitur *expressus*, quem verbis, (sive ore tantum prolati, sive in scripturam redacti) *tacitus* contra, quem *factus* declaramus. Etenim opposita sunt inter* homines, tacere et loqui: qui igitur non loquitur, et tamen facto signisque animi sui fenza explicat, tacens sane is loquitur. ** Sic qui consensum in re aliqua suum declarat, id quod ordinarie sermone et verbis facimus, tacet autem, et verborum loco factis utitur, nae is, quod tacite consentiat, rectissime potest dici.

* Dico notanter *inter homines*: tacere enim et loqui non semper sunt opposita. Non loquuntur lapides, nec tacent tacitum, quia tacere de lapide dicitur non *privative*, sed *negativa*.

** Quia in re appellandi ratio omnis sita est: cui nihil obest, si obicias, esse tamen unum eundemque consensus effectum, sive *verbis*, sive *facto* exprimatur. Imo huic maiorem in ipsis etiam legibus Romanis vim interdum adscribi, cuius rei exempla praebant cum L. 48. s. 3. de *ad lilit. edit.* tum quae de revocatione testamentorum ad 9.7. *Inst. quib. mod. testam. inscr. communiter inculcentur.* Nam ut tacem quae circa interpretationem posterioris doctrinae inonori adhuc possent (de quibus videlicet Huberum ad *Inst. s. 8.9.10.*) paci quoque eadem vis est, quae legis, quam tamen multis modis confitat a pacto discerni.

VIII.

Sunt autem, de quibus loquor, facta ista, duungi generum.

Quae-

Quaedam enim ex more et consuetudine communi ad certas significations sunt instituta, ita ut unusquisque videns ea et audiens statim, si ratione utatur, aliud quid iisdem indicatum te velle, posse intelligere: quaedam autem ita sunt comparata, ut et si remotiora paulo receptas communi quodam quasi consensu et usi significations tales non contineant, aequitas tamen naturalis postulaverit, ut certa quaedam obligatio iisdem a Legislatore sit inducta.

IX.

Ex primo genere factis qui utitur, tacite is consentire, et consensus, quem ea ratione exprimit, tacitus dicitur: contra qui ex alterius generis facto colligitur consensus, vocabulo is si forte non latino satis, recepto tamen in iuris arte, *praesumtus est* appellatus, forte propterea, quod civili et iuridica* aestimatione bonus quilibet, atque adeo talis *praesumitur*, qui ultiro iis omnibus, quae naturalis aequitas postulat, velit, saltem debeat, consentire.

* Dico *iuridica aestimatione*: secus enim est in disciplina morali, ubi quilibet *praesumitur* malus.

X.

Quae omnia et si intellectu haud difficultia sunt, atque, quid inter utrumque consensum intersit, satis perspicue indicant; quoniam tamen omnes doctrinae dilucidiores paulo exemplis fiunt, conabor et ego, quae haec tenus tradita sunt, exemplis non nullis efficere clariora. Ex quibus una illud cognosces, limatissimum alioqui Samuel Puffendorfium tamen, ubi ad hoc caput ventum est, adeo accuratum non esse, ut errore ductus, neque discri-
men consensuum recte constituat, nec exempla, ut par est, ordinet ac discernat, sed misceat potius pleraque, et iam quae ad tacitum consensum pertinent, ad *praesumtum* referat, iam quae *praesumti* sunt, tacito adscribat; id quod quidem liquido apparet, cui volupe est conferre eius L. III. cap. VI. de I. N. et G. cum iis, quae et iam dicta a nobis sunt, et mox dicentur.

XI.

Refereo autem inter quamplurima alia taciti consensus exempla primo *nutum*. *Enimvero* rogat abs te Caius, utrum fi-

liam

liam tuam dare ipsi in matrimonium velis: et si ne verbulum re-
pondeas, capite tamen annuas, consensisse existimaris, nec erit
quisquam, qui aliter tuum hoc factum interpretetur. Porro
dedisti eidem Caio mutuo imperiales centum, atque super hoc
mutuo chirographum ab eo accepisti. Post autem aliquanto redi-
dis ipsi chirographum: tacens donasse censeras, quae tibi debebat,
nisi, quae contrarium evincant, aliae circumstantiae adsint. Pari
modo diversis in couponam. cum prandendi tempus est, accedis ad
mensam. et si ne verbum cum hospite commutes, ipso tamen accessu
facis, ut tacite ad solvendum, quod comedisti, videaris consensisse.

XII.

Atque sunt haec taciti consensus eiusmodi exempla, in
quibus, quod quisquam reprehendat, vix puto inveniri posse.
At utrum silentium quoque adhunc censem pertineat, ex eo forte
scrupulus suboriri posset, scilicet quod ipsi nos ad tacitum con-
sensum factum aliquod requiramus: iam vero filere, non esse
factum aliquod, sed facti potius negationem. Nam et si in ore
fere omnium, etiam iuris privati Consultorum, brocardicum
illud inveniatur, quod qui taceat consentire videatur, falsum tamen
id esse, ac praeterea repugnare expressae legi 142. de reg. Iur. c. 44.
cod. in 6. ubi dicitur, qui taceat, nec fateri eum, nec diffiteri. Ve-
rum uti morali * aestimatione, positis certis circumstantiis,
factorum nomine veniunt etiam non facta; ita quin ad tacitae
obligationis vim silentium quoque pertineat, me quidem iudi-
ce, negari non potest. ** Quamobrem si v. c. sciens patiare, ut
alius rem, cuius ad te dominium pertinet, tanquam sua esset,
posideat, neque, cum commode posses, eam ipsi auffers, aut ta-
ces saltem, tacite sane, nisi suorum numero vis adscribi, indi-
cas, te rem, ab altero ita possellam, in numero rerum, quae
tuae sunt, habere amplius noluiss, sed dereliquisse potius. quae
tacita derelictio fundamentum censeri debet unicum, *** quae
inter gentes obtinent, praescriptionum et usucaptionum. Sic lo-
cavisti non ne minimi aedes tuas: efflxit tempus locationi prae-
finitum; si letis uterque, tu et conductor: ipso silentio efficitis, ut
nec tu expellere conductorem invitum, nec conductor recedere

VIX

B

a loca-

a locatione posit. vid. L. 12. §. ult. locati conducti. Similiter: passus es, ut aliquis fidem pro te interposuerit. silendo indicas, consentire te, velleque adeo obligari ipsi, non aliter ac si verbis expressis mandavisses. L. 6. §. 2. it. l. 18. mandati vel contra.

* Atque ipsius Pauli iudicio L. 189, de V. S.

** Quo pertinet Germanorum illud: Schweigstu still / so isses dein Will.

*** Dixi notanter: que inter gentes obiniet. Nam eti cum iis quidem neutriquam facio, qui plane inter gentes usucapiones aut praescriptions sublatas volunt, id quod Scriptores in primis Galli, Auberius et Puteanus faciunt, ut scilicet habeant, quod absurdum et obsoletum suis in Germaniam postulatis praetexant: Illud tamen tenendum probe est, tantum inter praescriptions, quae naturae iuris sunt, et eas, quas Romani iuris disciplina inculcat, discriminis interesse, ut nihil fere iis repugnent, qui prorsus ex gentium iure vocabula haec, tanguant in congruentia, et mera iuris Romani inventa, volunt exterminata. Etenim quae gentium iuris est usucatio I. unice in causa prioris Domini derelictione praedictum suum habet, ob quamque causam II. ut victio careat, nulla habita bonae aut malae fidei ratione, solam quietam et diuturnam possessionem requirit; etiamque eadem III. nec centenaria semper, nec eius temporis sit, cuius memoria amplius non extat. Ex adverso, quae Romani iuris est praecriptio vel usucatio, I. non tam in tacita prioris Domini derelictione, quam negligientiae coercione innixa, arque adeo poenae quasi loco iis est, qui negligentem cum rebus suis agunt. Quapropter II. etiam invito, immo ubi res sua fit nescient, atque extra iudicium saepe protestante priori Domino subficit, ac III. pro rerum, quae usu sic capiuntur diversitate, spatio certo, atque interdum etiam brevissimo convalescit. Ne autem avare faciendi occasio maliti hominibus subministretur, IV. bonam fidem et, qui hanc demonstrat, V. iustum titulum requirit, tandemque VI. ut res, quam usum capere velis nec extra commercium privatorum, nec VII. furtiva, aut VIII. vi possessa sit, postular. quibus autem omnibus naturae iure non indiger, quae per diuturnam possessionem paratur rerum acquisitioni. Evidenter non ignoro, diversum non nihil hic sentire alios naturalis iuris doctores, interque eos ipsos etiam instauratores illos, Grotium et Puffendorfium, quando fluctuantes quodammodo non ex sola tacita derelictione praescriptione iustitiam tueri audent, sed praeter ea ius quoddam gentium voluntarium in auxilium adsumunt, ut ex consensu quoque aliquo gentium robur eidem concilient, cum ad communem pacem pertineat, ut iustum bellorumque finis sit, gentiumque ea re tranquillitas conservetur. ille de I. B. et P. L. 2. c. 4. §. 9. hic de I. N. et G. L. 4. c. 12. §. 7. ctg. Verum ut gentium quoddam ius voluntarium, idque praeceptivum et consensu communii roboratum, ab iureque naturae distinctum ego et quotquot rem, praediicatis vacui, accuratus penitent, agnoscere nullum possum; ita nec autoritas facit virorum, cetera maximorum, ab sententia mea ut defistam. Quod autem confutare rationes illorum longum hic nimis futurum foret, reservabo id conflictui si occasio subministretur.

XIII.

Habes quae taciti consensus sunt exempla, non ea quidem omnia, talia tamen, quae sufficere possint meliori praeceptorum intellectui. Iam, quae ad presumptum pertinent pariter accipe.

XIV.

XIV.

Erat Titius, cum adhuc iuvenis esset, militiam secutus: parentibus interim vita functis, Caius pro veteri amicitia hereditatis, a parentibus relietae, administrationem in se suscepit, idque absente adhuc et inscio herede Titio, quae *negotiorum gestio* appellatur. *L. 41. de Neg. Gest.* Facit hoc factum, ut inter Caium et Titium consensus quidam, ex eoqe obligatio certa contracta a legibus paesumatur. in illo quidem, ut redditis rationibus, hereditatem, quam administravit, restituat, et damna, sive culpa eadem, sive dolo dederit, resarciat. in hoc, ut impensas, si quas utiles et necessarias fieri oportuit, gestori restituat, prorsusque eum indemnem praefest. utrumque propter evidentes naturalis aequitatis rationes, partim ne cui officium suum sit damnosum, partim ne desint, qui expresse mandare impeditis humanitatis istud officium praefest: §. 1. *Inst. de oblig. ex q.s. contr. L. 2. L. 6. §. fin. L. item 8. §. 1. L. 19. §. pen. de Neg. Gest.*

XV.

Simile factum *hereditatis aditio*, item *tutelae administratio* est. Etsi enim neutrum per se efficax satis est, ut consensus inde tuus, verbi causa ad reddendam administrationis tuae rationem, ad rem legatam praefstandam, suapte vi et directo posit colligi, lex tamen civilis, ob naturalem aequitatem, consensum tuum praesumit, atque ad obligationes istas te adstringit. §. 2. et 5. *Inst. de oblig. ex q.s. contr. L. 7. et 9. C. Arbitr. Tuz. L. 18. de Tuz. et rat. distract. L. 5. §. 2. de O. et A.* Possem praeter haec quamplurima alia utriusque consensus afferre exempla. Sed volui his in primis uti, quoniam et notiora sunt, et sufficientia instituto.

XVI.

His autem iam intellectis, non magnopere desudandum mihi erit, ut triplicis huius consensus differentiae ita perspicue discernantur, ut neminem in dubio relinquam. Vixum autem est, ad dictum celeberrimi Thomasii in *iurisprudentia divina*, rem omnem sequentibus regulis includere.

XVII.

Ac primo quidem: Quicunque consensum et voluntatem suam non potest declarare expresse, hoc est, sermone et verbis, idque vitio quodam animi intrinseco impeditus, ille nec potest tacite, hoc est, facto. Esto igitur: hominem aut mente captum, aut cui ob aliam causam usus rationis non est, nutu ad rogationem aliquam respondisse, chirographum reddidisse. nihil ea re ad alterum vel iuris vel commodi redundabit. Contra gesisti eius negotia, nihil rationis defectus impediet, quo minus ad sarcendiendas impensas tibi obstringetur. II. Quae ex consensu tacito oritur vis obligandi, ad eos tantum pertinet, qui quodam sunt facto usi: at quae ex praesumto est, etiam ad eos, a quibus nullum est factum adhibitum. Confirmat hoc exemplum *num. XIII.* adductum. Enimvero absens erat Titius, nihilque prorsus fecerat, et tamen Caio est obligatio acquisita. III. Impedit expressa contrariae voluntatis declaratio consensum tacitum: praesumtum non item. Vanum enim est, quaerere, utrum tacite quis obligationem contraxerit, ubi expresse, obligari se velle, negavit. Sic reddis *n. X.* Caio chirographum: subiungis autem non id donandi animo abs te fieri; nullum redditio illa detrimentum tibi afferet, nec Caius solvendi necessitate ea re liberatur. Ex adverso, fuscipis *num. XIII.* rem alienam administrandam, idque sine mandato, declaras autem expressis verbis, nolle te ad quidvis ea re alteri teneri; nihil hoc tibi conducit; nihilominus tenberis. IV. Ex consensu tacito obligationis effectus non potest redundare nisi in volentes. At consensus praesumtuus obligat etiam invitatos. V. Consensus tacitus est species consensus veri. Consensus praesumtuus est consensus fictus. VI. Ille obligationem producit ex libertate voluntatis, hic ex auctoritate legis civilis, idque immediate.

XVIII.

Satis, dicat aliquis, perspicua quidem haec sunt: verum quemadmodum ad civilem iurisprudentiam exempla pleraque pertinent; ita habeant fortassis tradita tua locum aut usum aliquem in iure privato, latius tamen non porrigitur. Ad quae respon-

respondeo, habere momentum in omni iure, usumque in multis materiis tam insignem, ut sine iis absque offensione vix possis te expedire. quod ut per se quisque facile deprehendat, si, quae observata nobis sunt, ad obvenientes materias et quaestiones rite accommodaverit; ita praebibimus nos uno alterove exemplo, ut, quam diximus, ordinis legi omni ex parte satisfiat.

XIX.

Est famosa iuxta ac perplexa inter DD. quaestio, * *utrum ius Gentium sit species iuris divini, an vero humani*, sive, ut alia ratione effertur, *utrum detur ius Gentium voluntarium, ab iure naturae specie distinctum?* Qui in ** Puffendorffii schola sunt edocti negant quaestionem, atque sese eum in modum explicant. Praecepta utriusque iuris, naturalis scilicet et gentium, una eademque esse. Quod si autem considerentur eo respectu, ut singulis v. c. Caio, Sempronio agendi normam praescribant, posse eadem speciatim appellari ius naturae. quod si autem integris gentibus, civitatibus et nationibus applicentur, vocari ius gentium. cetera nihil interesse.

* Quam scriptis olim inter se disceptarunt Puffendorffius et Rachelius; ille L. 2. de I. N. c. 3. §. 22. Versu: nec est quod nonnemo queritur, ubi Rachelio responderet. Hic peculiari dissertatione de I. G. sed quam praeter Puffendorffum erudite confutavit Ex-cell. Thomasius, disputatione de Crimiae Bigamiae, inter Lipsiensis, coniunctim editas, VII. §. 15.

** Quanquam iam ante Puffendorfium eandem sententiam, ut solet, ingeniose defendens Hobbesius, de Cive c. 14. §. 4.

XX.

E contrario affirmant eam Hugo Grotius, et quotquot a tanti doctoris placitis recedere religioni sibi ducunt. Argumentorum, quibus utuntur, summa huc redit. Scilicet non repugnant quidem, gentes, uti inter se pares sunt, et superiorem, praeter solum DEVIM, neminem agnoscent, ita lege aliqua positiva humana, utpote quae sine superiore ne fingi quidem potest, obligari non posse. Verum utut constringi humana lege non possint, posse tamen pacto. Pactum autem sicut eandem, quam Lex, vim habeat, ita ut Legis appellatione insigniatur, nec absurdum quicquam continere, nec exemplo destitui, siquidem in privatis

etiam pactionibus conventio v. c. inter emtorem et venditorem inita, *lex commissoria* vocetur, et Zafius observet, in universo Romano iure vocabulum legis in Contractibus pro conventione accipi. Esse autem pacto sicut tacito, per imitationem et continuatum seu propagatum usum, ius quoddam, ad modum fere iuris non scripti seu consuetudinarii, inter illas constitutum, dubitationis nihil habere; quod et si, ut sit in lege, non a voluntate cuiusdam superioris auctoritatem et obligationem obtinuerit, obtinuisse tamen a voluntate contrahentium, neque licere uniuersitati, reliquis invitis, postquam semel liberae voluntatis vinculum hoc placuerit, sine iniustiae nota, ab eodem recedere.

XXI.

Vides praecipuum huius sententiae fundamentum in pacto constitui: pacti autem vis omnis in consensu consistit. Age igitur, videamus, quemadmodum ad decisionem causae huius exposita haec tenus de consensu doctrina accommodari, atque utilitas eius eo modo demonstrari poscit.

XXII.

Consensus vel *expressus* est, vel *tacitus* vel *praesuntus*. Sicut autem, quod expresse consensum suum declaraverint gentes, eiusque rei causa aliquando congressi fuerint, nusquam invenitur; ita *pacto expresso* inter se devinciri, apertissime falsum est.

XXIII.

Vt tacite quis consensisse credi posit, *num. VI* facto, eoque *num. VII*. tali opus esse docuimus, quod sua natura moreque communis ad inferendum consensum aptum sit. Numquid igitur eiusmodi factum aliquod gentium afferri potest? Potest utique, inquires: habes enim *imitationem*, et *continuatum* inter illas *usum*. Sed dupliciter tibi respondeo. Primo enim illum, quem iactas, usum* universalem et continuatum demonstrari postulo. Deinde, etiam si demonstres, nego tamen, imitationem solam in rebus, quae meri sunt arbitrii, ** eiusmodi factum esse, unde consensus tacitus pactumque colligi posit. Aliquot iam lustra fuit,

funt, quod Gallos, ut in aliis rebus, ita in vestiendi ratione, imitati fumus Germani. Quis autem sanus dixerit, obligationem inde nos contraxisse, ut abstinere ab imitandi illa ratione aliquando non liceat? Ponamus, esse moris in urbe quadam, ut qui gladio accinguntur, illud ad dextrum latus faciant. Willstu / so magstu / noch dieses Neim-Gebetlein beten/ und darauf schlaffen gehen. Nempe potes, si velis, gestandi gladii morem istum imitari; si nolueris, nemo ad id te obstringet. Potes etiam ubi per aliquot menses in dextro latere gladium gestaveris, quan- docunque libuerit ad finistrum reponere.

* Si dicas: ne opus quidem universalis aliquo consensu esse, sed sufficere, si moratorium solum gentium consensus ostendatur. Tum quidem respondeo: ineptam esse illam divisionem Gentium in moratores et Barbaras. Gentes inter se pares sunt. nullus inter eas arbitrus, qui determiner, morator, an barbara aliqua sit. A stulto fastu Graecorum, et qui hos imitari sunt, Romanorum ortum summis haec appellatio. Ut taceam, haud raro, quas barbaras vocamus, anteire virtute moratoriis; nisi forte inania ceremoniarum, atque ad luxum et pompa comparatoriis rituum multitudinem virtutis falso titulo velis colorare. Erant olim in Romanorum oculis nostrates Germani barbara natio, et tamen gravis scriptor, et quod caput est rei, ipse Romanus, Cornelius Tacitus testatur: plus apud illos valuisse bonos mores, quam Romae bonas leges. Ac ausum ego affirmare, esse hodieque nationes, barbararum nomine insignitas, multis tamen nominibus eas antecellunt, quea moratoriis titulo superbiunt.

** Nisi alius contradixerit, et tu acquieveris. Perrinque huc vulgata regula: *res merec faciliat non praescribi*, ab ipso Hugone Grocio exemplo vicini, qui per plures annos societatem cum uno duinataxat vicino habuerat, cum tamen habere et cum aliis posset, eleganter illustrata. *De I. B. et P. L. II. c. 4. §. ult.*

XXIV.

Apparet ergo, etiam tacitum pactum inter gentes non dari. Confugienti autem forte ad praesumtum ex num. XVI. respondere potes, pactum praesumtum non esse verum pactum, sed pertinere ad fictiones iuris Romani, quoniam consensum, quo constitui illud debet, factum atque improprie dictum consensum esse ibidem demonstravimus.

XXV.

Multo autem minus in consuetudinarii iuris ratione praefidum causae, quod nonnulli querunt, inveniunt. Enimvero et si non infitior, patientiam * legislatoris scientis in republica eiusmodi factum esse, unde tacitus eiusdem consensus posit intelligi,

celligi, moribusque non scriptis iuris et legis auctoritas conciliari: potest tamen vel ex hoc ipso argumentum contra eos depromiri, ostendique, nescire fere quid loquantur, quando revera pugnatio docent, dum legislatorem inter gentes, ob agnitam paritatem illarum, ipsi admittere non possunt, et tamen ius suum, quod extruere conantur, gentium voluntarium cum iure non scripto comparant, quod quicquid habet auctoritatis a legislatoris tacita voluntate nanciscitur: quamquam, si quod res est dicendum, ne ipsius quidem consuetudinarii iuris effectus est, ut obliget, sed ut impunitatem solum et validitatem actibus producat. Sed ad aliud exemplum progrediamur.

* Nam et silentium ad facta pertinere evictum supra num. XII. est:

XXVI.

Cum in disciplina iuris naturalis ventum est ad caput de officiis parentum et liberorum, multa inter DD. est disceptatio, cui nam potissimum fundamento potestas, quae parentibus in liberos competit, sit adscribenda. Puffendorffius consensum in medium adducit: verum sicuti, quod supra ostendi, non accuratus in materia consensuum est; ita tacitum modo, modo praesumtum nominat. Etenim, quemadmodum parentes, eo ipso, quod infantem tollant, declarant, impleturos se obligationem a natura in iunctam, infantemque bene educaturos; ita contra infantem, et si propter latitantem adhuc rationis usum reciproca officia expresse promittere nequeat, contrahere tamen ex ipsa parentum opera obligationem, non minus, quam si expresse ipsius consensus accessisset. Praesumi enim, si usum rationis, eo, quo sublatus est, tempore habuisset, ac perspexisset, vitam se citra parentum curam, iunctumque illi imperium servare non posse, lubenter ipsum in idem consensurum, commodamque sibi educationem ab iisdem vicissim fuisse stipulaturum, qui consensus, cum absentis et ignorantis negotia gesta sunt, intelligatur velut ex contractu tacito obligationem contraxisse, pensandi eius, quod in ipsis utilitatem est impensum.

XXVII.

XXVII.

Haec utut satis speciose prolatā videri possint, examinata tamen ad doctrinam superius a nobis traditam, tantum abest, ut subsistere possint, ut potius sua sponte corruant. Primo enim quo minus patria potestas in universum ex consensu, quocunque demum, derivari possit, illa ratio impedit, quod consensus, tanquam fundamentum obligationis locum habere non queat, nisi iis in actionibus, quae ante consensum liberae sunt. *Supra num. IV. in nota.* Iam vero nec patrias est, educationis officium negligere, nec filio integrum, paterno imperio se non subiicere. Deinde etiamsi ponatur, posse societatem paternam ex consensu substantiam per naturam rei capere, non poterit tamen per alias causas. Ut societas ex consensu orta dici queat, consensu est opus, non singularis socii unius tantum, sed mutuus omnium. At hic nullum conspicias. Non patris, quoniam a consensu in societatem nuptialem ad paternam nulla valida est argumentatio. Non liberorum, quoniam ab ipso momento nativitatis societas incipit, ubi tamen, ipso Puffendorffio non repugnante, tantum abest, ut consensum aliquem infans possit declarare, ut potius ne illum quidem signum rationalis animi possit edere. Si dicas tacitum intelligi debere, in promptu ex num. XVI. responso est, non posse eum *tacite* consentire, qui non possit *expresse*. Sin, quod in primis Puffendorfius facere * videtur, ad praesumtum configrias, obseruit tibi, quod pariter supra ostensum est, consensum praesumptum non esse consensum verum, sed fictum.

* Quod exempli, a negotiorum gestione repetiti, adducio ostendit. quoniam illud non ad taciti, sed praefaciati consensu exempla pertinere num. XIV. est demonstratum.

XXVIII.

Vt ergo verior sententia illorum est habenda, qui statunt fundamentum imperii paterni unicum esse injunctum a natura * officium educationis, utpote quod expleri sine imperio, et respondentie liberorum obsequio non potest; ita Puffendorffio et aliis, cur consensum quoque in subsidium vocaverint, illud causam videtur praebuisse, quod intellexerint, postulare quodammodo naturam societatis, exemploque reliquarum omnium confirmari,

C

con-

consensu ut quaevis contrahatur ac subsistat: non considerantes, exceptionem ab regula facere societatem paternam, eamque inter omnes solam sine directo et speciali consensu iniri.

* Non ergo officium a iure, sed ius ab officio parentum, oportet derivari: reddique ratio potest, quare cum aliqui iuri suo renunciare quilibet possit, parentes non possint, quia non possunt officio, ab naturae lege praecepto. Et quoniam lex, quae parentibus iniungit officium, eadem et imperium iniungat, consequitur, liberos ad obsequendum teneri etiam invitos, neque querendi idcirco idoneam causam ullam habere, atque adeo ne opus quidem consensu illorum esse.

XXIX.

Hactenus de iure naturali. Subnectamus iam ea, quae utilitatem instituti nostri etiam in iure privato afferant. Simus autem contenti verbis paucis, quoniam multis non est opus.

XXX.

Pervulgatum est, iure Romano *contractuum*, sigillatim *nominatorum*, alias dici *veros*, alias *quasi contractus*. Si quaeras, quid discriminis intersit, aut in quo fundamento divisio innitatur, unice illud quidem ex nostra de consensuum discriminé doctrina est repetendum. Nempe supponunt omnes quasi contractus consensum praesumtum. Vti vero consensus praesumtus non est verus consensus, sua sponte consequitur, verum quoque contractum producere non posse. Nam quod Lauterbachius ad Tit. de Condit. indebit. opinatur, solutionem indebiti permanere *quasi contractum*, licet expresse inter partes conventum sit, ut quod errore solutum est, comperto eodem, non possit repeti, in eo quidem non parum absurdus mihi videtur. Namque ut sanae rationi adversum est, dicere velle, contractum tacitum manere talem, etiamsi consensus expressus accesserit; ita indignum sane viro tam eximio est censendum, statuere, et, quod mirandum est, legibus confirmare velle, quae revera pugnantia sunt, atque ad prima principia offendunt. Ex adverso in quocunque contractu subest consensus tacitus, ibi non quasi, sed verus contractus constituitur, quoniam consensus tacitus veri consensus est species exempla *vide sis supra n. XII. in fine.*

* Adducit enim L. 3. C. de fide iuss. it. L. 56. pr. mandat, sed quam miseret et contorto, differendo, si occasio dabitur, ostendetur.

XXXI.

XXXI.

Visum est Paulo nostrati *L. 4. pr. de paꝝ. illationem bonorum* in habitationes urbanas referre ad conventiones et contractus tacitos. Iam etsi ea semper modestia erga Patres hos nostros sum, ut libens iis haud obloquar: fert tamen nunc instituti ratio, ut quam insigniter bonus vir dormitaverit, indicetur. *Enim vero* invectionem bonorum eiusmodi factum esse, unde consensus ad oppignorandum intelligatur, id nemo ipsi facile credit, qui, quae supra de consensu tacito sumus commentati, in animum admisit. *Quin potius* satis in aperto est, confusisse *ICtum pignus tacitum*, cum tacito contraꝝtu, quanquam ne pignus quidem ex consensu quodam tacito, sed ex pracepto legis constituatur, atque adeo inania sint, quae Bachovius ex hac lege extorquere conatur, *vol. 2. disp. 1. th. 4. lit. A.*

XXXII.

Simili ratione Pomponius *L. 13. §. fin. Commod.* tanquam exemplum contractus et obligationis tacitae indebiti solutionem memorat. Falso sane, si ad nostras rationes, ut par est, exigatur.

XXXIII.

Porro utilis et practica, si quae ulla, in iure nostro, habetur materia protestationum. Est vero eadem multis quoque subiecta difficultatibus, et quamvis generatim conceptum vulgatum illud *brocardicum* sit: *Protestationem conservare ius protestantis*: patitur tamen illud, quibus nempe casibus cum effectu interponatur protestatio, quibus secus, restrictiones tam multas, ut tot fere non habeat regula exempla, quot habet exceptions. Esse autem, ut in hoc quoque argumento distinctius multa intelligantur, praesentis nostrae doctrinae partes haud spernendas, quae breviter subtexemus, ostendent. Nemo ambigit, ea quae in commodum nostrum a legibus sunt constituta uti invitis quidem afferri non possunt, ita extingvi tamen et tolli renunciatione nostra posse.* *Quemadmodum* autem renunciationem non solum verbis fieri, seu expresse, sed factis etiam, seu tacite, similiter expediti iuris est;** ita venire usu potest, ut renunciasse

aliquis iuri et legum beneficiis existimetur, etiam ubi nihil tale cogitavit. Huic rei ut obviam eatur, praeiudiciunaque, quod redundare inde posset, avertatur remedium inventum est, quod vocabulo, parum quidem latino, recepto tamen inter ICtos, *Protestatio* dicitur. Vti enim expressum consensum preferri tacito supra explicatum est; ita sane non aliter oportet accipi quod facis, quam abs te verbis et *protestatione*, siquidem *** statim adiiciatur, est indicatum. Ex his autem sine difficultate decidi nunc possunt impeditae alioqui DD. disceptationes, in quibus scilicet negotiis utiliter, in quibus fecus, addo ego, in quibus prorsus inepte *protestatio* adhibeat. Nimurum quoties tale factum abste est suscepimus, ex quo verisimiliter consensus aliquis tacitus inferri potest, toties et utilis et efficax est *protestatio*. Quoties autem factum tale est, quale supra *num. VIII.* in consensu praesumto descripsimus, ubi scilicet obligatio, illud concomitans, non ex consensu provenit, sed lege, toties, sine effectu et irrita est *protestatio*. **** Quoties autem neutrum adest, toties impeta et stulta est *protestatio*. ***** Exempli causa: citaris a iudice quodam, ut stato die in iudicium venias, et de certa causa respondeas. Venis, dubitas autem, utrum cognitio causae ipsi competat, hoc est, utrum competens sit iudex, an vero fecus. Si racheas, hoc ipso tanquam competentem ipsum agnoscis. Sin declaras, te non eo animo comparuisse, ut iudicium hoc pro competente agnosceres, quin oppositam potius te velle exceptionem incompetentis iudicis, cum effectu id facis, et valida est *protestatio*. E contrario geris alterius negotium quoddam, adiis hereditatem, protestaris autem vel coram notario et testibus, nolle te exinde obligari, frustra id facis et *protestatio* sine effectu est. Tandem iniunctum tibi a iudice est, ut, quod negavit reus, fundamentum petitionis tuae, pro eo ac fieri oportet, probes. Accidis ad probationem, protestaris autem, nolle te hoc ipso adstringi ad probationes, quibus opus non esset, et quae ad rem nihil conferrent, germano idiomate: mit überschüssigen Beweß unbeladen zu seyn: non magis superflua, quam plane stulta est *protestatio* haec tua.

* Id enim aperte docet L. pen. C. de pati,
et amplius

Et

** Et qua de re legi meretur Disputatio Schulzii de iacit. venune. iur. quaeſ.

*** Quod si enim ex longo intervalllo, et tum demum subsequatur, cum alteri iam est ius
quaſitum, nullo effectu gaudebit, vid. L. 15. Mandat. atque ad eas pertinebit,
quae facta contraria dicuntur.

**** Si, arg. L. 94 de R. I. L. 26. fin. de adim. et transfer. leg. L. 65. de V. O. suffultus, dicas
superflua tamen non nocere (auf deutsch: *Üppern gehört zum Handwerk*) respon-
deo: eis non nocent, si tamen usum plane nullum habent, stulta sane sunt, certe
virum prudentem haud decent.

***** Sive licitum alias, sive illicitum sit factum. Ratio in promptu est, quoniam pro-
testatio conservat tantum ius nostrum, cuius amissio vel translatio in alium a li-
bera nostra voluntate pender, non autem quod amittimus; aut transferimus in
alium etiam inviti.

XXXIV.

Atque ex his omnibus, puto, liquido cognoscitur, quantum
de Consensibus accurasier doctrina etiam in iure privato habeat mo-
mentum. Effent autem mihi, praeter haec, id genus in nume-
rato adhuc quamplurima. Verum ut aliud nobis propositum non
fuit, quam ut principia tantum et regulas, quas accommodare
deinceps ipse quisque ad obvenientes casus posset, constituere-
mus, cuius puto propositi mensuram explevimus: ac paeterea in-
visa semper illorum ratio habita, quorum potissima sollicitudo esse
solet, non quam bona, sed quam longa eorum sit oratio; ita praeter-
mittemus, quae dici forte adhuc potuissent, finemque sermoni facie-
mus, quo si forte ipsum argumentum, dictorumque ratio dispiceat,
certe illud vitio nobis dari non possit, fuisse nos in dicendo
quotque, quam res postulaverit, invisa loquacitate
prolixiores.

PARERGA.

I.

Status Imperii dici non potest, qui ferendi suffragii facultatem in comitiis pleno iure non habet.

II.

Sunt autem iure et consuetudine Imperii, saltem hodierna, suffragia non personis conexa, sed territorio.

* Ad quam consuetudinem idcirco, tanquam ad notoriam regulam, in comitiis anno 1645. apud Londorpium provocabat sequentem in modum Legatus Salisburgensis: Es sen wissend / daß im Heil. Röm. Reich die Sessiones und Vota nicht der Fürstl. Dignität sondern dem Lande annexirer. item alias apud eundem: es hange ius sedendi et votandi im Fürsten Rath nicht in persona, sondern in re et territorio.

III.

Absonum ut sit, alicuius territorii ratione suffragium dicere velle, cuius tamen territorii ne glebam posseideas.

IV.

Neque tamen non usu amitti, aut praescibi potest ius suffragandi.

V.

V.

Est enim ex numero earum rerum, quae
merae facultatis in iure dicuntur.

VI.

In foro naturae standum pacto est, etiam
vi nietique extorto.

VII.

At vero irritum est pactum, quoties ea,
super quibus paciscimur, aut non licita, aut
in arbitrio nostro posita non sunt.

VIII.

Dedisti ergo fidem Publicio, nunquam
te ipsum deserturum, defensurum potius ad
extremum usque vitae spiritum. Postea
Sempronio adversum, hoc est, deserturum
te Publicium spondes. Ad servandum non
modo non teneris, sed ad rescindendum quo-
que obligaris, quoniam et violare pactum
antiquius illicitum, et utrum destituere Publi-
cium velis, nec ne, in arbitrio amplius tuo re-
lictum non erat.

IX.



IX.

Ius Canonicum , ut alias , ita in materia testamentorum magis ad simplicitatem gentium iuris accedit , quam ius Romanum .

X.

In foris et praxi etiam magis receptum ius Canonicum est , quam Romanum .

XI.

Non habet locum praescriptio , a subdito adversus Principem allegata .

XII.

Hattonem I.* Archiepiscopum Moguntinum , describunt nonnulli veterum Historiorum , speciatim Vitekindus , Saxo , tanquam hominem perfidum , et nullo non vitiorum genere contaminatum . Ego vero calumniatorem Vitekindum ostendam , probaturus , Antistitem probum , prudentem , et laude quavis dignum Hattonem fuisse : in vindiciis Hattonis I. Archiepiscopi Moguntini , propediem e-
dendis .

* A quo diversus est Hatto II. quem a muribus corrosum imperitum vulgus nugatur .

ULB Halle
005 355 370

3





1710, 2
A2

DISPVTATIO IVRIDICA
DE
accurato discrimine
inter
CONSENSVM EXPRESSVM
TACITVM ET PRAE
SVMTVM
Quam
opitulante DEO
IN ELECTORALI ERFVRTENSI ACADEMIA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
REVERENDISSIMO AC ILLVSTRISSIMO DOMINO
DOMINO
PHILIPPO VVILHELMO
SACRI ROMANI IMPERII COMITE
DE BOINEBVRG

SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS CONSILIARIO INTIMO ET CA
MERARIO ECCLESiarvm MOGVNTINAe ET TREVIRENSIS ME
TROPOLITANARVM COMPARATE SVPREMO CHORI EPISCOPO ET
CANONICO CAPITVLARI SENIORE EMINENTISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO INTIMO CIVITATIS AC
TERRITORII ERFVRTENSIS PRO PRINCipe
ET RELIQVA

PRAE SIDE
FRIDER. GREGORIO LAVTENSACK
I. V. D.

A. D. XXII. AVG. A. C. MDCCX. publice

loco et horis solitis defendet

RESPONDENS

HIERONYMVS ZACKE
Erfurtensis.

LITERIS IO. HENRICI GROSCH ACAD. TYPOGR.